



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Peccatum rectè definitur, libera transgressio legis divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

401

TRACTATUS QUINTUS. DE PECCATIS.

DISPUTATIO PRIMA.

*De natura, divisionibus, subjecto, & causa
Peccati.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Peccatum.

NOTA. Peccatum sumitur latè & improprie, 1. pro quocumque defectu, vel excessu etiam naturali. In hoc sensu monstrum definitur peccatum naturæ. 2. Pro motivo vel incentivo peccati. In hoc sensu concupiscentia dicitur peccatum ab Apostolo Rom. c. 7. 3. Pro hostia ad expiandum peccatum oblata. In hoc sensu, 2. Cor. c. 5. Christus dicitur pro nobis factus esse peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso, hoc est, per ipsum. De peccato autem sic sumpto latè & improprie hic non agitur, sed de proprie & strictè sumpto, in qua acceptione peccatum idem est ac culpa, id est, actus, vel quasi actus humanus, moraliter malus, & imputabilis operanti, vel quasi operanti, ita ut propter illum operans, vel quasi operans, sit dignus vituperio & pena aliqua. His præsuppositis, sit

RESPONSIO.

Peccatum rectè definitur, libera transgressio legis divinæ.

Prob. 1. Quodd sit legis divinæ transgressio, ex S. Ambrosio lib. de Paradiso c. 8. ubi sic ait: *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & celestium inobedientia præceptorum?* Et ex S. Augustino lib. 22. contra Faustum c. 27. ubi S. Doctor peccatum describit, factum, vel dictum, vel concupitum aliquid (supple, aut ejus omissionem) contra eternam legem. Dico autem suppiendam esse hanc vocem: At ejus omissionem: nam transgressio legis alia est transgressio legis negativæ, qua prohibetur aliquid, & alia transgressio legis affirmativæ, qua aliquid præcipitur. Prima transgressio consistit in positione actus prohibiti: secunda verò in omissione actus præcepti. Hinc supra dictum est peccatum esse actum, vel quasi actum humanum, hoc est, esse actum humanum, vel actus humani omissionem liberam, & peccatum dividitur in peccatum commissionis & peccatum omissionis, de qua divisione infra.

Dices. Esse transgressionem legis divinæ, non convenit omni peccato. Ergo peccatum malè describitur, Legis divinæ transgressio. Neg. ant. *Probabis.* Nam 1. peccatum veniale non est contra, sed præter legem divinam. 2. Quandoque homines peccant contra solas leges humanas. 3. Datur peccatum purè philosophicum, quod soli rationi, non legi divinæ adversatur. Ergo, &c. R. neg. ant. quoad omnes partes. Nam 1. peccatum veniale est contra legem divinam, quamvis non sit contra charitatem, quæ est finis divinæ legis, quia ex eo, quodd est levis offensæ, non est incompossibilis cum amicitia, quæ intercedit inter Deum & hominem iustum. 2. Qui peccat contra legem humanam, peccat etiam contra divinam, quæ humanam servari jubet, ut suo loco ostensum est. 3. Falsum est quodd derur, aut dari possit peccatum purè philosophicum: nam qui peccat contra dictamen rectæ rationis, peccat simul & indivisibiliter contra legem divinam naturalem; quia, ut suo loco probatum

Simonnet Theol. Tom. 1.

est, rectæ rationis dictamen est intrinsecum & essentialè complementum legis divinæ naturalis, & ita est ipsa lex divina naturalis, non quidem adæquatè, sed completivè sumpta: est enim actus externus, quo Deus creaturæ rationali practicè intimat actus internos intellectus & voluntatis, quos habet ut legislator naturalis, quique cum exteriore illo actu intrinsecè constituunt completam & integram legem naturalem. Per hoc autem rectæ rationis dictamen Deus creaturæ rationali practicè intimando actus internos, quos habet ut naturalis legislator, & complendo legem suam naturalem in ratione legis, exterius ac sensibilibiter creaturæ rationali præscribit ea, quæ ab ea fieri, vel non fieri vult quæ author & rector naturæ; quod ut præter, sic dictamen illud modificat, ut recta ratio nunquam dicet aliquid esse naturæ rationali, quæ tali, disconveniens, quin simul & indivisibiliter saltem confusè dicet illud ab authore & rectore naturæ prohibitum esse.

2. Quodd peccatum sit legis divinæ transgressio libera, libertate scilicet indifferentiæ, probatur ex S. Augustino: sic enim loquitur lib. 3. de lib. arb. c. 19. *Illud proprie vocatur peccatum, quodd libera voluntate & ab sciente committitur*, supple, aut ab ignorante culpabiliter: ignorantia enim culpabilis, secundum principia S. Doctoris, æquivallet scientiæ in ordine ad imputabilitatem ad vituperium & penam. Et lib. de vera religione c. 14. *Nunc verò usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, vel indoctorum turba dissentiat. Ubi per voluntarium intelligit illud, quodd est à voluntate immuni à necessitate simplici, ut patet ex lib. 1. retract. c. 13. ubi S. Doctor dicit prædictam peccati definitionem convenire etiam peccato originali, eod quodd contrahatur ex mala voluntate primi hominis, quam malam voluntatem planè indubitatum est primo homini liberam fuisse libertate indifferentiæ: *Illud, inquit, quodd in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quoddam modo hereditarium.* Non itaque falsum est, quodd dixi: *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Igitur juxta S. Doctorem, peccatum illud, quodd parvuli contrahunt ab origine, est peccatum proprie, quia illis voluntarium & liberum est, non quidem voluntate & libertate propria, sed voluntate & libertate primi parentis, hoc est, voluntate immuni ab antecedente ad unum determinatione, & libera non solum à coactione, sed etiam à simplici necessitate. Igitur juxta S. Doctorem, ad peccatum proprie dictum requiritur, ut sit voluntarium voluntate immuni ab antecedente ad unum determinatione, & libera non solum à coactione, sed etiam à simplici necessitate, hoc est, ut sit liberum, libertate indifferentiæ. In hunc sensum sic peccatum definit lib. de duab. animabus c. 1. *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quodd iustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Hanc autem doctrinam aliquandò, post exortam scilicet Pelagianam hæresim, retractasse S. Doctor non dicitur, nisi à Novatoribus, & falsum esse demonstratum est in Tract. de Actibus, ubi de libertate.

Accedit ratio manifesta. Nam, ut supra notatum est, peccatum proprie dictum, est actus, vel quasi actus humanus, propter quem operans, vel quasi operans dignus est vituperio & pœna. Atqui nemo dignus est vituperio vel pœna propter actum, aut quasi actum

Qc

actum non liberum, sed necessarium necessitate antecedenti. Ergo, &c. Minorem lumine naturali notam esse testatur S. August. lib. de vera relig. c. 14. & lib. de duab. anim. c. 11. ubi hæc habet: *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poete, & indocti in circulis, &c.* Ex æquo igitur, juxta S. Doctorem, hæc duo nota sunt & manifesta, neminem vituperio suppliciove dignum, qui non facit quod non potest facere, & consequenter qui non omittit, quod non potest omittere. Primum autem ita notum est & manifestum, ut nequidem ab indoctis & rudibus possit ignorari. Ergo & secundum. Omnibus igitur etiam indoctis & rudibus notum est & manifestum, ad actum vel quasi actum vituperio suppliciove dignum, proindeque ad peccatum propriè & strictè dictum requiri, ut iustitiæ seu legi divinæ adversetur, & aliud operans vel quasi operans nulla necessitate sive violenta sive non violenta adigatur: ita ut operans contra legem prohibentem sic operetur, vel omittens contra legem præcipientem omitat ex propria electione & determinatione. Sic argumentatur S. Doctor loco proxime citato: *Quod si nemo, inquit, vituperatione vel damnatione dignus est, aut non contra vetitum iustitiæ faciens, aut quod non potest, non faciens, omne autem peccatum vel vituperandum vel damnandum, quis dubitet, tunc esse peccatum, cum & velle injustum est, & liberum nolle?*

Confirm. Quia legis divinæ transgressio necessaria non potest esse peccatum propriè dictum. Ergo superest, ut peccatum propriè dictum sit libera transgressio legis divinæ. *Prob. ant.* Nam qui necessario transgreditur præceptum aliquod divinum, transgreditur vel faciendum aliquid, quod non potest omittere, vel aliquid omittendo, quod non potest facere. Sed propriè peccare non potest is, qui aut facit aliquid, quod non potest omittere, aut aliquid omittit, quod non potest facere. Nam ut ait S. Augustinus lib. de duab. anim. cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, supple, aut fecit, quod non facere non potuit, summa iniquitas est, & insanie.* Ergo, &c. Hinc summi Pontifices, Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. hanc Bani propositionem damnaverunt: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

Obj. 1. Peccata venialia sunt verè peccata, tamen non possint aliquando vitari, & ita aliquando committantur necessariò. Ergo transgressio legis divinæ, etiam necessaria, potest esse peccatum propriè. *Prob. ant.* Nam Trid. sess. 6. can. 23. anathematizat dicentem, hominem etiam iustificatum posse in tota vita vitare omnia peccata venialia sine speciali Dei privilegio. Quod certè privilegium paucis admodum conceditur, & fortasse uni B. Virgini concessum est, sic ut, illa sola excepta, nemo unquam illud acceperit, aut accepturus sit. *R. neg. ant.* Nemo enim unquam peccat, etiam venialiter, sine libera potestate, seu libertate indifferentiæ ad opposita.

Ad probationem R. Trid. loco citato loqui non de potentia reducibili, sed de potentia reducenda ad actum: cum enim ait hominem iustificatum non posse in tota vita vitare omnia venialia sine speciali Dei privilegio, nihil aliud vult, quam fore nunquam, ut homo iustificatus sine speciali Dei privilegio omnia venialia vitet in tota vita; & secundum mentem Concilii, hominem iustificatum non posse in tota vita sine speciali privilegio Dei vitare omnia venialia, nihil aliud est, quam, seculo Dei privilegio speciali, fore infallibiliter, ut homo etiam post adeptam iustificationis gratiam, aliquando labatur in venialia, non propter physicam aliquam necessitatem aliquando peccandi venialiter; quoties enim venialiter peccat iustus, sic peccat, ut posset non peccare; sed tum propter

magnam difficultatem addiscendi ea omnia, quæ potest & tenetur scire, & quæ tamen ignorando non potest homo ea facere vel omittere, quæ facere vel omittere tenetur; tum propter magnam difficultatem semper advertendi ad ea, quæ scit; tum propter magnam voluntatis fragilitatem, & ad sensibilia ac rationi repugnantia propensionem, ortam ex inordinatis appetitibus materialibus motibus, frequenter erumpentibus; tum denique propter frequentissimas occasiones peccandi, quibus ad malum sollicitamur.

Dices. Quòd nullus ex iustificatis unquam, seculo speciali privilegio Dei, sit omnia venialia vitaturus in tota vita, imò quòd, seculo speciali privilegio Dei, futurum sit infallibiliter, ut omnis iustificatus in vita aliquando peccet venialiter, non potest esse sine aliqua etiam antecedenti necessitate peccandi, & impotentia etiam antecedenti vitandi peccatum. *R.* reverà hoc non posse esse sine antecedenti necessitate morali aliquando peccandi venialiter, & consequenter non posse esse sine antecedenti impotentia morali vitandi omnia venialia. At cum hac antecedenti impotentia morali, quæ est ad vitandam omnium venialium collectionem in tota vita, stare potest potentia non solum physica, sed etiam moralis vitandi omnia venialia distributivè, hoc est, & hoc, & illud, & illud in particulari. Unde omnis iustificatus cum antecedenti impotentia morali, quam habet ad vitandam omnium venialium collectionem in tota vita, seculo speciali Dei privilegio, nunquam venialiter peccat sine vera potentia morali vel saltem physica ad oppositum, & sic nunquam venialiter peccat necessario necessitate excludente libertatem indifferentiæ.

At inquit. Antecedens illa impotentia, quam habet omnis iustificatus ad vitandam omnium venialium collectionem in tota vita, seculo speciali Dei privilegio, non est moralis tantum, sed physica impotentia. *R. neg. Probabis.* Nam omnis impotentia moralis, quantumvis antecedens, superari potest, & aliquando superatur. *R.* omnem antecedentem impotentiam moralem posse quidem saltem absolute superari, at tamen aliquam talem esse posse, ut nunquam re ipsa superetur, qualis est ea, de qua nunc loquimur, ut fides docet.

At inquit. Antecedens impotentia moralis, qualis est ut re ipsa nunquam superetur, æquivaler antecedenti impotentia physica, imò non differt ab ea, nisi nomine tenus. *R. neg.* Magna enim inter utramque intercedit disparitas. Nam antecedens impotentia physica ad vitandam omnium venialium collectionem in tota vita, excluderet potentiam etiam physicam vitandi omnia venialia etiam singillatim sumpta, & ita homo iustificatus cum impotentia antecedente physica ad vitandam omnium venialium collectionem in tota vita, seculo speciali Dei privilegio, aliquando venialiter peccaret sine potentia etiam physica ad oppositum, proindeque aliquando venialiter peccaret cum antecedenti necessitate physica peccandi. At antecedens impotentia moralis tantum ad vitandam, &c. non excludit potentiam physicam, imò nec moralem vitandi omnia venialia singillatim sumpta. Unde cum hac impotentia morali homo iustificatus potest habere, & re ipsa habet, quotiescumque peccat, non peccandi potestatem saltem physicam, imò & moralem, nisi aliunde excludatur. Unde homo iustificatus cum antecedenti impotentia morali ad vitandam, &c. nunquam re ipsa peccat venialiter sine physica, vel fortasse etiam sine morali potentia non peccandi, & sic nunquam peccat venialiter cum necessitate physica peccandi, seu transgrediendi legem, quam hic & nunc transgreditur; imò nequidem peccat unquam venialiter cum morali necessitate peccandi, nisi moralis non peccandi potentia excludatur per aliquid superadditum antecedenti illi impotentia morali, quam habet ad vitandam omnium venialium collectionem, &c. puta per habitum vitiosum, per vehementiam passionis, aut aliquid huiusmodi.

Obj. 2. Transgressio legis divinæ etiam necessaria displicet Deo. Ergo est peccatum propriè. *R. neg.* conseq. Non enim omne, quod displicet Deo, est peccatum propriè. Ad hoc enim ut actus aliquis Deo displiceat, sufficit quod habeat turpitudinem moralem, si hæc turpido sit imputabilis operanti, sive non sit, propter ignorantiam vel inadvertentiam inculpabilem, aut propter defectum sufficientis libertatis. Ex antecedente igitur sequitur tantum, quod transgressio legis divinæ necessaria moralem habeat turpitudinem; quod verum est. Unde transgressio legis divinæ necessaria est peccatum materiale: at non est peccatum formale, nec proinde peccatum propriè & strictè dictum; quia moralis turpido, quam habet, quantumvis Deo displiceat, non est ad vituperium & pœnam imputabilis operanti propter defectum libertatis.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit peccati divisio.

1. Peccatum aliud est originale, & aliud personale. Peccatum originale est illud, quod per viam generationis ab Adamo transfunditur in posteros ejus; personale est illud, quod ab unoquoque propria voluntate committitur.

2. Peccatum personale, ratione diversorum statuum, aliud est actuale, & aliud habituale. Nam peccatum, quod propria voluntate committimus, vel actu existit, seu actu committitur, & sub hac consideratione dicitur peccatum actuale; vel non amplius existit actu, seu non actu committitur, sed commissum est, & sub hac consideratione vocatur peccatum habituale, quandiu non remittitur: tandiu enim manet moraliter, seu in æstimatione prudenti, quia tandiu Deus propter illud jure indignatur homini, perinde ac si actu & physice existeret.

3. Peccatum actuale aliud est commissionis, & aliud omissionis. Peccatum commissionis est illud, quo præceptum negativum transgredimur, & consistit in actu aliquo prohibito. Peccatum omissionis est illud, quo transgredimur præceptum affirmativum, & consistit in omissione culpabili alicujus actus præcepti.

4. Peccatum actuale aliud est veniale, & aliud mortale. Peccatum mortale est illud, quod reddit hominem Deo odibilem, & dignum pœna æterna. Dicitur mortale, quia avertit mortem spiritualem animæ, privando illam gratia sanctificante, in qua, animæ vita spiritualis consistit. Peccatum veniale est illud, propter quod Deus homini indignatur leviter tantum, & quod tantum inducit reatum pœnæ temporalis, in hac vita vel altera exolvenda. Veniale dicitur, quia non dissolvit amicitiam hominis cum Deo, nec avertit mortem animæ: non enim est impossibile cum charitate, sed solum fervorem ejus minuit; neque excludit à cœlesti beatitudine, sed solum retardat ascensionem illius.

5. Peccatum actuale aliud est carnale, & aliud spirituale. Carnale est illud, cujus objectum est aliqua delectatio carnalis; spirituale verò, quod non habet pro objecto carnalem delectationem. De utroque loquitur Apostolus 2. Cor. c. 7. cum ait: *Mandemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Primum consummatur actione materialis organi, ut peccatum gula, vel luxurie. Secundum verò consummatur actione purè spirituali, ut peccatum invidia, vel superbie. Peccata primi generis majora sunt quoad infamiam & adhesionem ad objectum. Peccata verò secundi generis, cæteris paribus, graviora sunt quoad culpam.

6. Peccatum actuale aliud est cordis, quod in corde, ut odium Dei; aliud oris, quod voce, ut perjurium; aliud operis, quod opere, ut furtum, consummatur. Item aliud est ex ignorantia, aliud ex passione, & aliud ex malitia. Peccatum ex ignorantia, seu peccatum ignorantie est illud, quod ab ignoran-

Simonnet Theol. Tom. I.

tia culpabili, voluntarium diminvente, tanquam à causa per accidens procedit. Dico, voluntarium diminvente: nam duplex est ignorantia culpabilis, una scilicet affectata, seu directè volita, qualis est ignorantia illius, qui expressè non vult scire, ut postea liberius peccet; altera verò non affectata, seu indirectè tantum volita, qualis est ignorantia illius, qui negligit scire id, quod scire tenetur. Prima non minuit voluntarium, & peccatum quod ex illa fit, non debet dici peccatum ex ignorantia, sed potius peccatum ex malitia, quia hæc ignorantia in ordine ad imputabilitatem æquivalere in æstimatione prudenti certæ scientiæ. Secunda ignorantia minuit voluntarium, & peccatum quod ex ea fit, dicitur propriè peccatum ex ignorantia, seu peccatum ignorantie.

Peccatum ex passione est illud, quod procedit ex motione appetitus materialis, trahentis voluntatem ad consensum. Pro quo *nota*. Duplex est passio, una scilicet, quam voluntas non excitat; & altera, quam excitat voluntas, & quæ idcirco consequens dicitur. Peccatum autem, quod ex ea fit, non est propriè peccatum ex passione, sed potius dici debet peccatum ex malitia, quia passio, quam voluntas excitat, non minuit libertatem voluntatis. Passio verò, quam voluntas non excitat, dicitur antecedens, & duplex est, una scilicet simpliciter antecedens, & altera antecedens secundum quid tantum. Antecedens simpliciter est ea, quæ non est voluntaria neque in se, neque in alio, tanquam causa: antecedens secundum quid est ea, quæ voluntaria est, non quidem in se, sed in alio, puta in prava consuetudine, quamdiu voluntas eam non retrahat, nec ei, quantum in se est, resistit: unde passio antecedens secundum quid tantum censei non potest minuire libertatem, & ita peccatum quod ex ea fit, non est propriè peccatum ex passione, sed potius est peccatum ex malitia. Solum igitur peccatum, quod fit ex passione simpliciter antecedente, hoc est, ex passione, quæ neque in se neque in alio voluntaria est, propriè dicitur peccatum ex passione, seu, quod idem est, peccatum ex infirmitate; quia sola passio simpliciter antecedens voluntatis libertatem minuire censetur.

Peccatum ex malitia est illud, quod fit ex plena libertate. Hoc modo peccat, quicumque neque ex ignorantia indirectè tantum volita, neque ex passione simpliciter antecedente legem transgreditur: talis enim legem transgreditur ex plena libertate. Nam duobus tantum modis minui potest libertatis usus. 1. Ex parte intellectus, & hoc facit ignorantia non affectata. 2. Ex parte voluntatis, & hoc facit passio simpliciter antecedens. Si ergo neque ex ignorantia non affectata, neque ex passione simpliciter antecedente peccatur, peccatum est omnino liberum: unde caret omni excusatione, & rectè dicitur peccatum ex malitia. De iis autem, qui hoc modo peccant, dicit Scriptura Job c. 34. *Qui quasi de industria cefferunt ab eo (Deo.)*

Potest peccatum ex passione, ex suo genere gravius est, quam peccatum ex ignorantia. Ratio est, quia ignorantia non affectata minuit liberum & voluntarium: passio verò simpliciter antecedens minuit quidem liberum, sed augeat voluntarium: augeat enim voluntatis conatum. Omnium autem ex genere suo gravissimam est peccatum ex malitia, quia omnium maxime liberum est, & voluntarium.

7. Peccatum actuale aliud est specialiter contra Deum, aliud specialiter contra proximum, & aliud specialiter contra ipsum operantem. Ratio est, quia inter virtutes, aliæ sunt quæ propriè habent Deum pro objecto, ut fides, spes, charitas & religio; unde peccata quæ illis adversantur, sunt speciali modo contra Deum: aliæ habent pro objecto proximum, ut justitia & misericordia; & ita peccata quæ illis opponuntur, sunt speciali modo contra proximum. Aliæ denique hominem ad se ipsum rectè disponunt, ut fortitudo & temperantia; & ita peccata illis opposita, sunt speciali modo contra ipsum operantem. Quod non impedit, quominus omnia omni-

Cc 2 pecca.